

**Ejus, quod divinum abditumque est in morbis specimina quaedam succinto
submissa examini ... disputatione inaugurali defensa / ab J.L. Fischer.**

Contributors

Fischer, Johann Ludwig.
Camerarius, Elias, 1673-1734.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Literis Roebelianis, [1730]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hye92mdc>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

30

EJUS, QVOD DIVINUM,
ABDITUMQVE EST

IN

MORBIS

SPECIMINA
QVÆDAM

SUCCINCTO SUBMISSA EXAMINI,

AC

AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
JUSSU,

P R Æ S I D E

ELIA CAMERARIO,

Med. Prof. Ord. Conf. & Arch. Wirt.

PRO LICENTIA

AC DOCTORALIBUS IN MEDICINA
HONORIBUS

DISPUTATIONE INAUGURALI DEFENSA

AB

JOHANNE LUDOVICO FISCHER,

Oettingensi.

AD DIEM XX. FEBR. MDCC XXX.

LITERIS ROEBELIANIS.





S. N. D. B.



Uod nuperis dissertationibus allegavimus $\theta\epsilon\iota\omicron\nu$, aut divinum, abditumque in morbis, videbatur aliquam adhuc postulare illustrationem atque dilatationem, ut incerti illius limites aliquousque saltem cognoscantur, exemplisque quibusdam declarentur. Ipse enim Hippocrates, ac sequentes per omnia secula Medici $\tau\omicron\theta\epsilon\iota\omicron\nu$ non eadem significatione allegarunt, aliqui etiam Aeri id tribuunt in $\nu\omicron\tau\epsilon\rho\alpha\iota\ \alpha\prime\pi\omicron\kappa\rho\iota\sigma\tau\epsilon\iota$, alii in Chymia quoque id inveniunt, semper tamen notat aliquid occultum, & incomprehensibile, cujus causam neque sensu, neque cogitatione assequi satis possis. Medici duo potissimum respiciunt, cum $\tau\omicron\theta\epsilon\iota\omicron\nu$ allegant, atque ad id recurrunt; ac primo quidem in morbis omnis generis ea sæpe eveniunt, quæ a morbi genio sunt haud parum aliena, quæ decursum ejus mire variant, ut præter omnem expectationem fiant mutationes vel in melius, vel in pejus quoque, quarum origines admodum sunt abditæ.

Dein vero $\tau\omicron\theta\epsilon\iota\omicron\nu$ reperimus in morbis, quorum symptomata ab ordinariis causis, naturæque ordine haud videntur pendere, sed ab altiori dependere principio extra ordinem rerum agente, illive accedente. Hoc vero $\theta\epsilon\iota\omicron\nu$ hodie potissimum impugnatur, non eadem forsitan intentione; Sunt ex numero Medicorum, qui metuunt, ne nimiam dæmoni potentiam tribuant, hinc quamdiu possunt exsculpere vel minima verisimilitudine phænomeni occurrentis aliquam causam mere naturalem, ad altius principium haud censent esse recurrendum. Horum intentio bona est, ac laudabilis zelus, etsi non semper cum plena cognitione conjunctus, etsi non perpendant satis, scripturam ipsam multum potentiæ tribuere huic principi aëris ac seculi, his principibus mundi ac
A 2 spiri;

spiritualibus malitiis. Alii ex plenitudine Eruditionis, ac ne videantur more vulgarium hominum simplices, explodunt omnia, quæ magici quid vel dæmoniaci præ se ferunt virgula, penitusque excusant magno nisu diabolum, atque quem excludunt ab intricatis istis negotiis, hi fere videri queant imitari quodammodo opilionem illum, qui pro infante in solenni S. Baptismi actu respondens, ac quæsitus, a diabolo, rebusque eum concernentibus penitus renunciaret, hæsitando respondit: se esse hominem in sylvis, agrisque diu noctuque expositum, nec posse tam simpliciter potenti hosti plene renunciare, bellumque indicere. Ac nescias plerumque, an dæmonum existentiam credant isti, an negent. Alio ex fonte priores sua deducunt dubia, vident enim prudentes Medici pleraque phænomena posse, etsi cum aliqua difficultate exponi naturali modo, hinc conantur ea quoque eo referre, quæ stupenda, ac rationi impervia sunt.

Exemplo rem illustrabimus. Petimus id ex Eph. N. C. Centur. IX. ubi obs. 23. Exc. D. Anhorn de Hartvvis exhibet Energumenon visum. Hic miles fugitivus Cremonæ pluries a spectro territus, Bonnæ tanquam Apostata diris devotus, ac porro, si ejus dictis fides habenda, a diabolo graviter in via ad se illi, dato sanguineo chirographo, dedendum tentatus, in patria a lue venerea salivatione Mercuriali liberatur, mox animo turbatur, trunci instar sæpe fixis oculis decumbit, nec clamore, nec vellatione excitandus. Redit quotidie paroxysmus, semper mæstus & anxius; semper audito Salvatoris sanctiss. nomine exhorrescit, rubore suffunditur, ructus porci instar emitit, convellitur totus, donec precum finis fieret; quicquid ciborum vel potus cum solenni benedictionis formula assumpsit, id mox vel vomitu, vel per secessum rejecit. Hinc animæ quæsitæ Medicina anxia is mente indicavit, quoties Pastorum aliquis ædes ingrediebatur, trementibus membris eum & præstolabatur, & ejus adventum adstantibus indicabat. De rebus omnibus recte respondit, ut cum ad statum ejus spirituales deflecteret sermo, mox ante dictus ingruit paroxysmus, sistendus adhuc si alio deflecteret colloquium, at si in immissa a Deo afflictione pergeretur, mox in flammam erupit malum; nec tota die cessavit furor, motusque explosivi, totam corporis machinam modo vix explicabili exercentes, nisi preces pastorum remitterent, contra illos dentibus frendebat, ringebat, oculis minitantibus, linguam ad extremos fines exseruit, canis instar allatravit, conspuir, manibus ferire, ac unguibus in illòs involare contendit. Perpetuo renunciavit in-

ter blasphemias Deo, diabolo se consignans ac devovens; catenæ tamen & violenti nifus nullibi frictione utut violenta labem cuti intulere, ligandus vero fuit, quia nullo numero robustissimorum etiam virorum contineri potuit. Elapsus semel e custodia uno saltu per scalas præceps, ita muro allisit caput, ut retrorsum prosterneretur, nil tamen mali passus: semper alacris inter inedia & post furores summos ac convulsio- num horribiles rigores, nunquam delassationis signum dedit, putavit ad se rediens se in agone cum dæmone fuisse; credidit se frustra implorasse opem excubitorum, qui ei non succurrerint, illi vero nil nisi violentas agitationes per noctem & inquietudinem viderunt. Cavit sibi semper a nomine Dei, vel Salvatoris S. ac compulsus ad orationem dominicam recitandam primam & ultimam petitionem tremula lingua expressit. Cum diabolo pugnam in eo quoque dixit consistere, quod ipsum affligat omni torturæ genere, eò illum adacturus, ut cum fidem datam violârit, de novo sponsionis securitatem jurejurando firmatam extorqueret. Certam cumprimis noctem fatalem sibi fore credidit, hinc excubitores jussi sunt probe attendere, qui nihil præter somnum interruptum, capitis ja- ctationem, anhelationem, anxia suspiria, cum cataleptica, ut dicitur, rigiditare observarunt, dum ipse quereretur, se ab hoste arreptis capillis extractum e lecto, verberibus inclementer exceptum, manibus faucibus appressis strangulatum, ab excubitoribus vero nullam sibi opem latam. Monitus igitur rursus fuit de illusionem ipsi facta, jussusque est ad Deum reverti, sed eo ipso pristinam mox solitamque tragœdiæ scenam, præviis ructibus exhibuit, vomitus ac secessus, ut antea semper, passus est, quam- diu Dei nomine aliquid ingereret, aut benedictionis votum quæcunque de re acciperet. Hinc & cesserunt adstantes currenti furori, repræsen- tati paulatim ipsi sunt mentis errores, data remedia ex rhabarbaro & the- riaca, vinum chalybeatum, aromaticis visceralibus alteratum. Tulit hæc & singula ingesta melius, modo precum nulla fieret mentio. Ecstasis adhuc erat frequens cum iisdem, ut ferebat, tentationibus. Nec tamen convulsivi motus amplius adeo erant enormes. Instante Festo Nativita- tis Christi [cœperat vero malum sub autumnii initia] non impatienter primum tulit sacras ad pœnitentiam admonitiones, ac tandem paroxys- mo cum ructibus abreptus, ut olim furere perstitit, quamdiu preces & sacra cum illo peragerentur. Datum dehinc catarcticum fortius, quod ipsum sursum deorsumque horribili quantitate expurgavit cum intolerabi- bili fœtore. Vires ita tum sunt attritæ, ut nescio profluerent excremen-

ta, frigus membra occuparet, ac vix notabilis esset pulsus. Sensim vero dehinc, sensimque convaluit. Plenior citata Ephem. observ. morbi dat historiam. Vir Celeberrimus omnia illa, quæ satanica videri poterant, metui melancholico tribuit, qui ipsi potuerit omnem illam cacodæmonis apparitionem & promissorum persuasionem imprimere, quorum renovata recordatio Dei nomine appellato ob metum potuerit illos ructus, vomitus, sedesque efficere; Nos vero aliquid amplius altiusque agnoscimus ob iunctas terribiles convulsiones, omnesque alias circumstantias, obriquit, convulsus est toties, privatus omni sensu, ista sane metui pænæ sibi per somnium dictatæ adeo non adscribere possumus, quia nomen Dei ac preces semper malo occasionem præbuere, non metus; omnia enim alia colloquia de malo suo quietus audiebat, modo abessent preces.

Nec alia nos exempla allegata movent; Ecquis enim certus est, in similibus malis omnia semper naturaliter esse gesta, cum jungi morbo naturali dæmonis malitia possit; Etsi enim talia mala temporis ac remediis cedant, id naturalia fuisse ea plane non probat, cum & talibus malis sua divinitus præstituta sint tempora, illaque cedant sensim nervinis ac convenientibus remediis. Frustra doctissimi Viri vim sonoram allegant, frustra a Tarantula punctos huc trahunt, hi enim saltant a certo rusticæ Musicæ sono, non a verbis; nec sonus verborum ut talium hos excitavit in nostro furores, continuæ enim preces continuum excitarunt furorem, hymni illum auxerunt, sed vel levis ingeminatio nominis JESU furorem incredibiliter duplicavit ac multiplicavit; ægro post paroxysmum semper allegante pugnam suam cum satana. Si enim sonus fortius auditus organa feriit, solum JESU nomen adpellatum minime debuisset plus quam omnes hymni & clamores furorem accendere.

Nos sane pensitatis omnibus circumstantiis, eo confidentius altius hic malumque principium morbo junctum asserimus, quod Vir Celeberrimus jam lapsum illum terribilem, qui innoxius ipsi contigit, non aliunde agnovit tam innoxium, quam ex ope dæmonis hoc suum mancipium tuentis, quodque perpensis violentiis summis motuum in membris catena constrictis ne superficiariam quidem ostenderit cutis læsionem, ac a diarrhæa tam diuturna, ac tantis convulsionum nisibus in menses protractis nullam senserit debilitatem, sed a paroxysmis horribilibus semper integris surrexit viribus, idem Vir Celeberrimus agnoscat satanæ ludibrium, cujus operationes nullis vinculis corporeis coerceantur, tum in hoc, tum in pluribus aliis, quæ per morbi decursum contingere, omnino ex-

excludi posse non forte erit, qui statuere suscipiet. Ne minimum enim labis accepisse caput & furentia membra catenis constricta, ut non media crepuisse ossa subinde impossibile videretur, id captum nostrum (id fateretur Vir Celeberrimus) propemodum superat. Si enim dæmonem vocat in scenam, cur excludere in reliquis præsumit; juncta sane sunt naturalia cum diabolicis technis.

Nec dicimus evenisse illa exterius, quæ retulit post paroxysmos infelix homo, sufficit mentem tam male a dæmone intrinseca tortura habitam, quæ sane formidabili harmonia in membris miseri se exeruerunt. Permittit Deus atrociora illa mala, ut cautius discant mercari homines, at hi modis omnibus monita ista ad naturam referunt, sic eo tutius implacabilis hominum hostis rem suam in occulto agit, dum involuntarios nanciscitur advocatos, qui apud homines tam erudite rem ejus agunt, ipsisque persuadent hostem hunc rugientem ac in literis divinis tanquam summe ob potentiam formidabilem declaratum, non esse formidandum, nec posse morbis se adjungere, ac sub ipsorum quasi larva latere, ac devorare securos occasione talium exhibitionum. Non ignoramus abusum, qui ex altero latere committitur, aversamur superstitionem omnem, sed attendere jubemus Medicos, quos inflata ratio nondum excæcavit, ad artes dæmonis morbis se frequentius, ac quidem vulgo creditur, adjungentis.

Eam vero, quam addit Vir Celeberrimus cum hoc viro comparationem, haud satis capimus, cumque & id problema sit Medicum, dabimus ipsa verba: *Sunt inter Pietistas, Inspirati dicti, qui vi quasi & fortius si non ambitiosius commercium cum Deo intensissimo mentis conatu ambientes, divinas passim inspirationes somniant; si rem physice contemplemur, quid quæso ab hoc nostro differunt? nisi quod illi sacris ac divinis intenti, summe devoti, & dulcissimo, ut perhibent, Dei amore capti, prævio rubore faciem perfundente, cum strangulatione quasi suffocativa & partium iremore convulsivo, ad Ecstasin catalepticam rapti, divinis, ut referunt, colloquiis, maximo animi solatio fruuntur; hic blanda quamvis ac suavis spirituum titillatio, nimia tamen & in uno objecto nimium defixa efficit, ut spiritus ad cerebri meditullium rapti, ibidem turgentes & concentrati, immoti perstent, sibi que phantasmata fingant, quæ prius pro genio suo impensius animo volvebant, tamdiu donec suoapte impetu & elatere viam inveniunt ad solennem partium irradiationem continuandam, quæ quidem non sine anxietate, & conatibus convulsivis, paroxysmum concomitantibus, impetratur. Unde fidem*
deli-

*deliramento jactatis visionibus Angelicis conciliare conantur, & effata inter Ecce-
stasin, ceu divina oracula hujus farinae gens credula recipit. Equis luder
demonem quandoque devotissimos hosce minus pia ambitione, qua sibi non
conveniunt, affectantes, aequae ac lusi nostrum non tam impium quam impiis
imaginationibus actum falsumque crediderit? Multa in hisce verbis mi-
scentur, nec tamen aequae quadrant omnia.*

Inspirati non sunt cataleptici, hi enim immobiles ac quieti perstant, isti vero enormiter qua caput ac praecordia agitantur; nec colloquia sibi tribuunt divina, sed de Deo loquuntur hominibus; nec visiones sibi tribuunt angelicas; nec eorum effata somnia dici possunt, cum tardissime eructata, ita plene ac ordinate cohaereant, ut ne syllaba quidem extra ordinem suum collocetur; nec ipsorum motus ulla ratione hujus miseri motibus conferri possint. Quicquid vero horum sit, optandum est, ut omnia inspiratorum phaenomena (in quantum ad Medicum Physicumque spectant forum) altius pensitentur, nos ea nec vidimus, nec audivimus, Avtoptæ autem terribiles istas vocant contorsiones, singultuosas illas respiraciones, lentasque verborum eructationes admirantur, haud sine stupore, ac terrore visas auditasque: difficile fuerit omnium dare rationes, nec hujus est loci. Ille enim, qui profundius conabitur ista scrutari, atque eruere, attentissime totum illum paroxysmum, multis etiam distinctisque vicibus qua omnes oculorum, linguae, oris, gutturis, praecordiorum, abdominis, motuum ac jactationum capitis, pulsuum, modi loquendi, turgentiae vasorum, rigiditatis aut flacciditatis artuum circumstantias &c. contemplari atque observare summa cum cautela ac sollicitudine debet, eaque omnia prudenter conferre cum ipsis hominum istorum effatis, ac formare ipsis placidas objectiones, atque ad ipsorum responsiones probe attendere; ut sic aliquando in luce aliqua clariore ponatur res admodum intricata atque abscondita, possitque pronunciari cum aliquo fundamento, quousque & hic sese manifestet τὸ Θεῖον, sive permissione divina, sive occulto Dei judicio, semper sane sapientissima supremi Numinis ad sanctissimos fines suos directione. Si res, quod sancte adseverant, ita generatur inscio loquente, ac contorto inspirato, multum ea torquebit ingenium mentemque ejus, qui phaenomenorum omnium in mente aequae ac corpore tum occurrentium, naturalem dare rationem fuerit conatus. Meram fictionem & affectationem vix terribiles isti motus admittunt, & quod viri illis accesserint acuminis haud contemnendi, D. Fatio de Duilleres, æmulus Leibnitii ac Nevvtoni, qua calculum differentialem, Mathematicus insignis, nostris-

nostrisq; diebus Excellens Me. i us Chymicusque præcipuus; non id volumus dicere, tales viros non posse falli, cum omnes homines falli soleant passim & doctissimi præcipue, sed fraudem tamen advertere potuissent, si illa subesset. Uti vero iam monuimus, ista plenior merentur etiam in nostro foro considerationem; Tale enim est problema Medicum solutione dignum: assignare ideam adæquatam, subjectum primarium, causasque genuinas, status præternaturalis transitorii intricata combinatione exhibentis motus convulsivos, violentos, ac particulares, peculiarem respirationis torturam, Ecstasin, catalepseos vestigia, alienationem mentis cum elocutione tardissima, ac summe tamen ordinata, mente corporeque mox post recollectionem, alacritate, viribusque integris gaudentibus. Nec solutioni aptus est, nisi αὐτόματος a præjudiciis liber.

Lubentes vero alii [secundo enim hos loco consideramus] in genere concedunt, dari extraordinaria abditaque talia, quæ referri ad τὸ θαύρον debeant, ac plus habeant in recessu, quam ordinaria naturæ phænomena; cum vero ad speciem eundum est, ac individualia exempla allegantur, eo omnes ingenii intendunt nervos, ut ostendant ista omnia naturæ ordinaria via operantis vires haud excedere, neque extra ejus collocanda esse sphæram, idque intentione apparenter optima, ne scilicet superstitioni occasio detur. Instituit tale examen exactum in Act. Phys. Med. N. C. Obs. CCL. Excell. D.D. Behrens circa celebrem a multo retro tempore semperque ambiguam visionem Joh. Engelbrechti, civis Brunsvicensis, quam stupendam dicit, cum per horas 12. instar mortui jacerit; Et certe, inquit, si rem cum vulgo superficietenus consideres, facile ad supernaturales causas declinaveris, quas tamen Medicus, rationalibus principiis insistens, hoc in exemplo non admiserit, cum phænomena omnia ad naturales causas referri, ab iisque omnino deduci queant.

Sequamur vero κατὰ πόδα Viri Excellent. argumenta ac vestigia.
(1.) Hypochondriacum vero fuisse hominem omnino agnoscimus, nec excludimus stricuras passim spasmodicas, moramque talis Ecstaseos diurnam possibilem esse, adducta probant exempla. (2.) Nec negamus, oriri ab affecto communi sensorio Ecstasin, cum spiritus animales quasi concentrati, in partes pro sensu & motu nequeant commode, uti prius, influere. Neque (3) censemus tamen, catalepsin, atque Ecstasin tantum invadendi modo, qui in catalepsi subitaneus sit, differre; æque subitanea potest esse Ecstasis, sed alia prorsus membrorum in Catalepsi dispositio est; hinc & rarissima ipsa, rarior Ecstasi est, stricte sic dicta Catalepsis.

An vero lymphæ quædam austera, ac stagnans principium nervorum spasmodice afficiat, pororumque in his casibus cerebri efficiat conniventiam, phænomena haud satis declarant. (4.) Facile largimur, animas in Ecstasi extra corpus alio non deferri, uti de Joh. Wernero refert, qui Tor-gavia Viennam in intimum Imperatoris conclave fuerit An. 1638. abreptus, secretissimisque interfuerit negotiis. *Sed, inquit Vir Excell., secundum naturam hæc, si quidem phantastica non fuerint, non fiunt, talemque Ecstasin divinam pariter ac diabolicam agnoscit summe Rev. Buddeus in Inst. Theolog. Dogmat.* Sed nec istius animam migrasse Viennam existimamus, potuere aliunde illi innotescere secreta; Animam vero cum Viro Excell. haud possumus dicere ex subtilissima spirituum animalium parte & ex aura divina homini in creatione inspirata constare.

Voluntariarum ac fictarum Ecstasium allegata exempla rem directe haud probant. Magnus tamen artifex nobis erit, qui simulaverit Ecstasin haud detegenda fraude. Vim phantasie insignem agnoscimus, nec proin asserta Ecstaticorum de ipsorum translationibus fidem apud nos inveniunt. Exempla vero a Viro Excellent. allegata non omnia ejusdem sunt ordinis & gradus; etsi enim dæmonum energia sese adjunxerit spasmis, etsi revera tales animæ alio non abripiantur, revera tamen tormenta illa in anima se vere exserunt, anima ea dolorifice ac reipsa patitur, revera istas phantasie ipsi sistit ideas, etsi corpori nihil tale accadat, uti persuadent sibi homines afflicti. Nec verbum addimus de Ecstasi S. Pauli, quæ altissimi ordinis est, etsi fateatur Apostolus, se nescire, ubi fuerit tum ejus anima; sane in Deo fuit, ubicunque fuerit. Nec attingimus argumentum a cessatione Prophetiarum ac revelationis desumptum, quod fori nostri non est. Pariter cum Viro Excell. Schoberi vim animæ in se reductæ & a corpore abductæ huc non sufficere arbitramur. Concludit ergo tandem Vir Celeberr. Engelbrechti Ecstasin morbum fuisse, & quidem syncopen convulsivam, nec quicquam supernaturale simul adfuisse, visiones autem ejusdem nonnisi somnia exstitisse. Consentimus in eo, quod phantasia in tali Ecstasi tamen operetur, quodque & circulus sanguinis & undulatio spirituum haud penitus cessent. Id vero duriusculum assertu nobis videtur, nihil plane hic nisi naturalem fuisse syncopen; neque etiam somnia solent debentve dici, quæ egregio ordine cohærent, aguntque de rebus gravissimis; maxime cum ipsa rei illius historia vestita sit circumstantiis omnino memorabilibus,

Si vero quis regerat scrupulosius : Vosne novas nobis, antiquasve commendabitis Ecstases, novas prophetias ? Resp. Visiones curæ cordique nobis non sunt, Theologico illas scrutinio relinquimus totas. Illusiones hic sunt faciles & frequentes. Nos manemus in puncto Medico, an plane naturaliter ista omnia contigerint ; Recordamur enim supra dictorum, admitti a viris doctiss. Ecstases visionesque, extra naturæ sphaeram assurgentes, sed in casu speciali semper solam allegari, ac obtorto huc collo trahi naturam. Sequamur historiæ filum, (quantum quidem reliquit memoriæ lectio ejus olim facta) relicto lectoribus judicio : Joh. Engelbrecht vix legere, vix literis nomen suum potuit exprimere, hinc pauca legerat ; tristis perpetuo afflictusque animo fuit ; semper dum opificium addisceret, in angore fuit, impulsusque ad vitam vi aut submersione in aqua finiendam, vitam tamen egit probam, sobriam, aliorum tamen risui eo ipso expositam, fame non raro pressus, nendo lanam misere vitam sustentavit ; tandem profunde ad animum revocato Evangelio secund. Domin. Adventus, ex terribili angore incidit in morbum, nausea mox ingens potus cibique, ut ne guttam quidem ore admitteret, ut vel frustulum cibi in fauces adactum suffocationis induceret metum, usus tum fuerat S. Cœna admodum debilis, ut ne attollere quidem valuerit caput. Adstantes expectabant mortem, clamores vero ille præ dolore atque angore ciebat ingentes, precibus tamen nunquam cessantibus octo jam dies jejunaverat, cum inciperet ab imo pedum emori corpusculum, sensim omnium membrorum amisit sensum, clausit os, oculosque, quos sensit deficere, audivit tum adhuc preces sermonesque adstantium, ejusque membrorum intensum frigus mirantium, versus mediam noctem audivit adhuc horæ undecimæ sonum, duodecima etiam auditum perdidit omnino. Hæc sunt primordia Ecstaseos, hic sibi videbatur incredibili aliò transferri celeritate. Adstantes eum ut plene mortuum tractarunt. De hoc statu postea mira narravit, translatus in cœlum æque ac in infernum. Nos eo lubentius illa mittimus, quia ipse reliquit aliis librum, an credere ista ipsis libeat omnia. Res passim impressæ leguntur. Nil octo diebus [uti dictum] comederat, rigidum jacebat corpus ac frigidissimum post 12. horas vivacitati restitutum sensim ac sensim inverso ordine a capite reviviscentibus membris usque ad calcem ; rediit vero primum auditus, credidit se fuisse abreptum, sed nescivit quamdiu duraverit raptus. Duodecim intra horas eo iterum robore fuit, quo unquam antea polle-

bat; ut vel ædibus potuisset egredi. Totus jam vero erat alius, eloquentissimus concionator, Bibliorum sacrorum penitissime (cum parum antea nosset) gnatus; subito suo & aliorum innumerorum judicio eruditus; ipsius confessionarius Jordanus audiens mirabilem suadam, solidamque verborum vim, rem totam vocavit opus divinum, ob summæ prudentiæ & profunditatis effata, quæ omnem, quæ confluxerat magno numero turbam dabant in stuporem. Videant alii de doctrinis, quas largo flumine protulit; Medico id pensitandum, quod ex tanto ac tam diuturno languore quasi evigilans perpetuo dein diu noctuque peroraret sine ulla defatigatione, quod 8. 12. imo alia vice 20. dies transegerit sine omni cibo; semper unoque filo necebat sermones sacros sine ulla unquam lassitudine, nec intra dies 14. bibit quidquam, ac licet ante ecstasin 8. diebus nihil assumeret cibi, post ecstasin tamen sex integris diebus famem sensit nullam, non potuit dormire, nec a concionando quiescere, anodyna exhibita somnum haud potuere inducere, ut crediderit novem se mensibus haud dormivisse; novem diebus redditus est mutus, cum tacere voluisset propter impios, cumque dubitarent aliqui de inedia, quam ad 18. semel protraxerat dies, liberum fecit Magistratui, an eum velit certo includere loco, ut veritatem exploraret.

Sunt multa alia, quæ Examini Theologico sunt relinquenda, cum Erud. ille Theologus Paulus Eggardus rem omnem approbaverit. Neque enim nos magnificiendas esse visiones censemus, cum tot illusionibus res istiusmodi sint obnoxie. Phantasiæ ἐνέγχαν hic nemo prudens negaverit, mera tamen somnia, quæ edixit, omnia declarare, ordo visorum ac postea recensitorum, ac connexio vetat; notum enim est ordinem distinguere somnia a realitatibus; Mixturam tamen somnii & veritatum plerumque subesse haud est improbabile. Dum τὸ θεῖον Medico sensu allegamus, non operationes miraculosas dicimus, sed abscondita tamen nobisque impervia specialis providentiæ divinæ opera; mansit anima in corpusculo suo, sed fuit in illo intervallo mirabilibus quibusdam modificata modis ac representationibus, adeo profunde menti illi impressis, ut tota esset persuasa de sua per orbem universum peregrinatione, ac inde referret stupenda, quæ suo relinquimus loco; Quis vero stupidiori antea huic juveni, quis pauperculo ac simplici fulloni vitio vertet vel fraudulentæ tribuere iniqua rei innocentis æstimatione ausit persuasionem ipsius
adeo

adeo fortem de migratione animæ suæ per vastissima illa spatia; Cum divino plenissime eruditus lumine Apostolus repetita vice asseveret, se nescire, an in divina illa, quæ ipsum in Paradiso tertiove cœlo constituerat ecstasi, fuerit in corpore, an extra corpus? Deum solum id penitissime nosse; hoc sibi esse certissimum, quod verba audiverit, non eloquenda, quæ non liceat homini effari; an vero anima sua corpus eo tempore reliquerit, an vero in eo constanter permanserit, id quidem Deum nosse, utpote quod intellectum suum cognitionemque, utut divinitus largissime illuminatam, dilatatamque transcendat lateatque; si vero Vir tam divinæ illuminationis particeps de repræsentationibus rerum, verborumque, divinitus ipsi oblatorum, in animæ suæ centro certissimus fuit, & tamen incertus plane mansit de sua in corpore mansione vel animæ suæ in Paradisum translatione; quis vitio vertat juveni tam antea rudi, stupidoque, quod totus quidem de visis ostensisque ipsi in Ecstasi convictus, letusque ac quasi lumine quodam insolito perfusus, ea quæ menti ipsius altius impressa modo fuerant, cum parthesia eloqueretur abundantissime, ac simul tamen falleretur in eo, quod crediderit, se alio migrasse, dum sopito, profundo quasi lethargo, corpusculo, menti repræsentatæ fuere vividissime res maximi pleræque momenti, ac prorsus seriæ, ejusque captum antecedentem longissime superantes. Status vero summæ debilitatis, tot horarum gravissima cum frigore ac rigore Ecstasis, subitanea resectio, infatigabilis mox ac perpetua diurna, nocturnaue actio, vigiliæ diurnæ, alacritas inter labores stupendos summa, abstinencia modum omnem excedens, vigorque animi ultra homuncionis sortem ac temperamentum; hæc aliaque evidenter docent, permisisse ista Deum, ac direxisse divina specialique suæ providentiæ cura. An non enim liberum ipsi est, si velit, talia permittere ad excitandos subinde e somno & torpore homines, non ut novæ obtrudantur revelationes, sed ut ad veras antiquasque stupidus mundus paulo fiat attentior.

Et si liberum cuique relinquamus, quibus rem totam oculis velit intueri, cum & inter modernos antiqua hæc historia disceptationibus dudum dederit ansam. Nos id unice miramur, qui in corpusculo mortis imaginem plene referente, instar frigidi trunci, sub specie cadaveris, sine ullis motuum vitalium indicibus jacente, anima vigorem tueri suæ activitatis, ac recipere partim repræsentata, partim circa illa suas ne-

Et ere ideas non sine ordine quodam valuerit, vigente simul, vividissima idearum impressione ac revocatione, memoria; his sane rebus responderunt tum innumera spirituum cerebri, tum fibrillis impressa vestigia, ac lenissimæ sub stupore illo corporis undulationes, sufficienti tamen impressionis tenerrimæ efficacia ibi relictæ, ut redeunti ad plenum cum reviviscente corpore commercium anima iusta iterum serie sisti ac repræsentari, durantibusque per tot dies noctesque concionibus sufficere potuerint; per omne enim id Ecstaseos tempus, etsi omnia frigida atque emortua apparerent, nec secretio spirituum in arctis cerebri tubulis, nec sanguinis per cor promotio aliqualis penitus cessaverat, uti alias in Hystericis suffocationibus, pariter evenire solet; etsi regulariter in illis phantasia ac memoria non ea ratione, uti in hac Ecstasi factum, vigeant.

Cum in diuturnis morbis multa complicantur symptomata, pressoque se invicem sequantur pede, plerorumque evidens a rationibus manifestis dependentia efficit, ut etiam illa, quæ plus habere in recessu aliusque agnoscere principium videri queant, in eandem conjecta classem, mere ordinaria ac naturalia habeantur, ac distrahuntur plerumque circa talia animi, his Magicas allegantibus præstigias, illis naturæ per omnia ordinem ac vim solam agnoscentibus. Dabimus compendium morbi diuturni, ac per stupendas vicissitudines transeuntis brevissimum: Rusticus annorum 47. diu jam tristis ac dejecto animo incedens, subito Erisypelaceo dolore ac brevi post Pleuritide corripitur, juncta anxietate ac delirio meticuloso, his exantlatis vigili affligitur comate, insomnia patitur horrenda, creditque fascino se constrictum, fameque affligitur plusquam canina; credit se damnatum, pertæsus vitæ & fugam tentat, & insultat aliis ipsi suspectis, nil enim nisi sagas videt ac dæmones, ipsum discerpturos. Venæ sectio brevem dedit quietem; Aguntur ista Mensis Aprilis initio, consilium petierant ab Empirico, vel si mavis, Mago, qui fascinum accusavit, deditque hinc asam foetidam aliaque sine fructu. Urina naturalis est. Medicus exhibet remedia temperantia ac anodyna; sed æger redit ad Empiricos, pejus ille habet, Majo mense humi repit, se perditum clamans, anhelat anxie, tremat desperabundus metuque plenus. Citatus ac debilis tum pulsus; ac maniacus tamen furor. Secta erat in fronte vena, dedit Medicus tincturam helilebori albi sine effectu, ac Cephalica. Delirat vehementius per vices, clamat

clamat desperabundus, medio Maji ejulans humi se circumvolvitur, projicitur corpus totum in altum ad scamni altitudinem, vicissitudine motuum multiplici ac stupenda; amuletum appenderant collo, quod aperiens Medicus invenit corallii frustum, fragmentum radiculae, cum signo crucis, & vocibus apollon abathon; credidit hoc imminuisse terrores, cum tamen eo momento & terror, & præ terrore exsilio, jactatioque corporis incredibilis eveniret; magus qui id dederat, addidit, urina teste, ægrum scatere diabolis, hos expellendos, si debeat restitui. Erant tum motus convulsivi celerrimi ac enormes in omnes plagas, omnium partium corporis, eodem fere momento complicabantur tristi vicissitudine, tetanus, emprostotonus, opisthotonus, ac vagæ capitis, partiumque omnium motiones, cum subsultibus, imo projectionibus totius corporis frequentissimis, ac si capiti vellet insistere, tetanodes circumvolvebatur in pavimento in omnes plagas, projectus sæpissime pilæ instar in altum, parieti rigidum applicabat corpus, ac inde quasi eodem rigore rejiciebatur in distans; non poterat sub his motibus ingeminare plene solenne suum, ô Deus; subinde delirabat eructans varia absurda, rediit tum sermo, postquam consanguinei collum pedibus, uti alias brachiis fit, esset subito amplexatus; accusavit se hominemque illum furti, quæ sit origo sui mali, nec cessabant sub istis locutionibus violenti, rigidique atque innumerabili varietate ludentes motus. Eadem post meridiem die moribundi instar in dorso decubuit, aut si mavis, catalepticus, etsi subinde spasmi se exsererent. Grunniebat instar porci morientis, spumamque sanguineam ore protrudebat, mox quievit, cum faciem lavarent, ringebat more canis, rediit dein ad sanam mentem, precesque & plenam quietem. Datus hinc Clyster emolliens. Cum fascinum crederent subesse, abrasos capillos capitis, ac calceorum soleas ipso inspectante, magna fiducia ac spe, comburebant. Ista 22. Maji acta erant, die 23. repetiit & motus capitis enormes, & clamores desperabundos: Væ mihi, perii &c. mox quietissimus, mox ita convulsus, ut quasi tetano corriperetur, oculis clausis, constrictis arcte maxillis. Torvum videbant aperti oculi. Clamores, constrictis semper maxillis, ingentes opem implorans edidit; convellebatur & vomituriens ventriculus, & partes corporis per vices. Varios tum edebat sonos, mox ringentem canem, mox allatrantem, mox venatoris canes incitantis, mox capræ, postea feles rixantes felicissime expressit, hinniebat equorum more, capræ quoque sonum

sonum imitabatur, virulumque sub cultro clamantem, cuculum, mira varietatum vicissitudine; quæ eo erat mirabilior, quod celerrimis mutationibus, cum vocibus istis vagis, alternaret Tetanus rigidissimus ac obmutescencia & ablatio sensuum; incomprehensibili variationum vicissitudine ac celeritate. Subito sæpe redeunte loquela; dixit se damnatum in utero matris, de Sibyllarum vaticiniis multa garriens: subinde tremulus motus & anxietas eum invasit; advertit citius quam omnes adstantes, cum quis appropinquaret ædibus; a summo paroxysmo subito ad se rediens; nunquam tamen risit. Metuit damnationem ob varia, quæ recenset, peccata potissimum juvenilia, quorum gravissimum in somnio erat gestum; inter peccata recensuit, quod nec legere, nec scribere didicerit. Morsu sibi pollicem voluit avellere, vix impeditus. Conspectis liberis intenduntur symptomata. Data remedia nervina, anodina, nitrosa. Sedens imitatus est actum frumenti tritorium. Insilit in mensam, in scamna, ut allideret summo tegmini vehementer caput; præcipitem se daturus per fenestram, mox cecidit epilepticus eadem infausta die; post jacens instar mortui Catalepsin quasi exhibuit. 24. Maji erat status Catalepticus, vel potius interni spasmi, mox succedere spasmi, mox dormiebat profundissime, in ipsa meridie subito sanissima mente surrexit, quasi vitque in Camera rem sibi charam. Delirat eadem rursus die maniaco furore. Diebus sequentibus delirium furiosum cum tristitia aderat. Secta tum in brachio & pede vena. Cessabant convulsiones a remediis, donec d. 27. Maji post agitationes totus rigidus ac tetanodes concidit; redibant hic serpentis per conclave agitationes violentæ cum ructibus, salivæque fædo fluxu. Fuit paulo ante sanæ mentis, mox correptus denuo in gyrum subito instar indicis horarii circumactus fuit. Sub omni vehementia motuum ac allisionum, læsus nullibi in corpore fuit, Vomuit tum a remedio, redierunt sequentibus diebus saltus motusque. D. 28. Maji rigidus totus jacuit immobilis. Furor, roburque extraordinarium. Sub ipsa venæ sectione tetano correptus. Junio mense eadem fabula. Cucurrit hoc mense integra etiam mente, occulto impulsu per montes, dumeta, rupesque, ac sentes, sine ulla læsione. Musculi subsiliunt in furis, instar murium. Rediit dehinc ad Empiricos, temporis tamen tractu convaluit. Quis jam non videt, hic innumera esse mere naturalia. Tenui vero nostro judicio ea quoque in miris istis combinationibus deprehendimus, quæ *ἄλλοι* aliquid sub perpetuis cumprimis illis angorbis ac desperationibus

bus innuere videantur, cum maxime tot superstitionis remedia, tot suspecti Empirici concurrerint. Liberum tamen relinquimus lectori, ut eam sibi terribilis affectus formet ideam, quæ congruat tam complicatis, tam horribilibus symptomatibus. Id vero semper in ejusmodi suspectis affectibus observavimus, eos nulla ratione posse in principiis compesci ac supprimi; tempore hic ac patientia opus est, insistendo enim remediis congruis, nervinis, antispasmodicis, elanguescunt sensim isti impetus, redeuntque ægri cum sanitate in gratiam, ut non sine stupore conspicias, talem machinam humanam tam misere ac violenter quassatam, ac in intimis tenerrimisque partibus læsam, divinæ tamen providentiæ ductu pristinæ integritati ordinique post confusiones summas restitutam.

Hæcque ipsa ratio modo allegata efficit, ut adeo acriter de fascino atque incantatione disputandum Medico non sit, cum res intricata nimis abditataque sit, sed insistendum saltem remediis ordinariis. Plerumque enim & Medici & adstantes in eadem sententia non sunt: Illis naturalem morbi cursum, his fascinum allegantibus, atque id omnino subesse persuasis. En tibi adhuc unius historiæ compendium, quæ poterat distrahere animos, ac truculentia symptomatum terrorem incutere inspectantibus, fascinum sane hic jungent alii naturalibus causis, alii id excludent; Medici sub illo dissensu est, remediis prudenter insistere, sic enim cum Deo ac die turbæ impetusque conticescunt. Octo annorum puella una cum sororibus scabie diu torta, inungitur una cum illis sulphurato unguento; incipit dehinc per aliquot menses male habere, variis exercita stricturis spasmodicis; etsi enim tota die perfecte esset sana, immo & in schola ad discendum, memoriæque res imprimendas aliis alacrior promptiorque, tristi tamen malo vesperti corripitur; habet id quoque peculiare puella pulchra, nitidula, ac cetera recte valens per diem, quod recitando preces semper hæreat, taceatque occurrente diaboli nomine; reperit tamen si quis præeat, eamque ut eloquatur, moneat. Ludens etiam in platea vesperti, cum maxime signum audit campanæ, subito properat ad ædes meticulosa, subridens tamen, incipit tremere pollex, reliquique digiti convelli, sequitur imi pedis convulsivus motus sine dolore, integris sensibus; delirium accedit absurda hilaritate notabile, inter cachinnos perpetuos gestusque ridiculos; subito mox dif-

C


fluit

fluit in lachrymas largissimas, cum indignatione summa. Accedit de-
 in brevis aphonia, jectigatio in lecto (spasmodica multifaria, rigiditate
 in omnem situm corpus jactatum occupante, mox per vices membra
 torquentur spasmodice, nunc tota rigida ac tetanodes, nisi fortiter
 teneretur, præceps rueret in terram; proripit se ex lecto, abscondit
 se sub cistis, indeque petit retrahi; mox inter lusus ac cachinnos
 sentiens irruentes spasmos properat ad lectum, infinita motuum, si-
 tum, cataleptici status, aut syncoptici subinde varietate, sub qua in-
 silit quoque scamno, mensæ, lecti summum rependo petens. Cum
 vero tetano riget corpusculum, inopinato nunc pedibus, nunc capite
 præcedente jaculi instar projicitur, ad terram præceps ruiturum, nisi
 firmiter teneretur. Subinde epilepsia se penitus exserente, pugnis
 rundit caput. Exspiratio recte se habet, sed inspiratio laboriosa, ac
 quasi detenta, sonum dat ranarum quasi coaxantium, qui suspicionem
 fascini adstantibus auget. Augebantur hæc per Aprilem; Majo men-
 se & hæc puella & binæ sorores, una quinque, trium altera annorum,
 eandem agebant tragœdiam, plene valentes per diem, vespera vero
 appropinquante inter saltus, cachinnosque enormes mox lassæ, mo-
 rosæ, timidæ, domum repetiere, ac si expectassent diutius, correptæ
 affectu tetro, ne lectum quidem potuere attingere, aut prostratæ in
 terra, aut parieti, scamnove innixæ terribilia illa motuum spasmodi-
 corum mala patiebantur; mox finita scena cum cachinno profilientes;
 durabant horribiles miseriarum motuumque vicissitudines sæpe ad me-
 diam noctem, quam postea placide dormiendo transegere. Remedia
 data sunt exquisita interna & externa, nil vero profecere, uti nec ve-
 næsectio, nec vomitorii vis. Tandem post innumeras tragœdiæ va-
 riantis scenas separatæ sunt puellæ, crescente adhuc fortius malo,
 sed brevi post finito. Mater viderat in excrementis puellarum diar-
 rhœa crebrius vexatarum vermiculos. Media inter puellas durius
 habita, minima mitius; hujus torquebatur caput retrorsum, ut
 facies horisonti fieret parallela, oculi torvi convellebantur, rigebat
 corpusculum, finem cachinno habuit malum ac hilaritate. Id ma-
 xime parentibus fascini movit suspicionem, quod in ἀκμῇ paroxysmo-
 rum rigida corpora in rotæ modum circumvolverentur, quæ circum-
 acta sensim ad quietem tendit post plures fibrations. Multo major
 post venæsectionem motuum sævities, nataque hinc epilepsia, si loqui
 sic

sic liceat, cursoria aut saltatoria; Cogebantur enim ad saltus cursusque convulsivos incredibili celeritate, saltuumque reciprocatione, una cum variis spasmodicis motibusque particularibus convulsivis omnium membrorum, ea agilitate, varietate ac celeritate, quæ comprehendere vix potuit, cum horrendis vociferationibus, bruta potius quam homines decentibus. Quis vero immanes illos insultus, nixusque ac motus sub vera sistat imagine? *Ἰεῖον* divinumque opus hic attendendum existimo, congruus enim puellarum ætati vix fuit truculentus morbus. Convaluere post torturas satis diuturnas, valentes etiam sequentibus annis, etsi biennio post nova sui documenta daret, sed brevia, tremendus hostis.

Habent in istiusmodi casibus, quo se exerceant ingenia Medicorum; abditæ enim mali causæ, ratiociniis diversis relinquunt locum; cum in clarioribus aliis ac evidentioribus vix nisi admodum increduli dubitare queant. Uti sane in casibus acicularum ejectionum exsectionumque tot acicularum scrupulus nobis superest nullus, junctum fuisse fascinum. Ac evolve, si libet, historias primæ dissertationum nostrarum Taurinensium insertas, tam evidentes in hoc genere, sive spectes illam, quam suggessere Eph. N. C. de ferreo Circulo, defosso sub limine conclavis epilepsiam excitante; sive puellam ex oculi cantho cum diris doloribus plumas, linea fila, aliasque quiscuilias nobis inspectantibus, excludentem; sive feminam ex urethra æque ac ventriculo ea protrudente, inter sævos dolores numerosa, vastaque corpora, quorum & copia & moles vel audientibus horrorem queant incutere. Neque enim pluribus ea repetere nostrarum angustia paginarum permittit, qui in brevibus istis nunc acquiescimus, subministrata sufficienti ad opponendum in Disputatione

Inaugurali materia,



NE detur vacuum, lætans hæc carmina scribo,
 Dum posita hic studiis meta coronat opus.
 En breve sed pariter complectens omnia votum,
 Ut sinat ex voto cedere cuncta DEUS.

Nobiliss. Dno. Lto & Commensali honoris
 & amoris ergo ad posuit

Wolfgang Adam Schoepff, D.

Consil. Wurtemb. & Pandect. ac praxeos
 Profess. Publ. Ordinar.

Universit. h. t. Rector.

Divini quiddam morbos spirare docendo
 Sic animi dotes ingenique probas,
 Adspiret Divina Tuis quoque gratia curis,
 Felices morbis adhibeasque manus!

Nobiliss. & Clariss. Dno. Lic. Fischero
 applaudit

Joh. Zeller, D.

Arch. Wirtb. & Oetting. Med. P. P. Ord.

Abdita

Felix, qui morbi *radicem* novit & *auxilium*
 Hic ignota potest, notaque scire mala,
Natura quæ sint *causæ*, vel *Damone* nata,
 Aut *Ænō*, quod inest, explicat atque monet.
His FISCHERE tuum quoniam *clarescere* nomen
 Incipit ; Inde TIBI gratulor, atque TVIS.

Misce Nobiliss. & Experientiss. Domino Medicinæ
 Lic. Doctorando *Fischero*, Inquilino suo per
 aliquod tempus honoratissimo, amoris sui
 monumentum facere, & omnigenam tum
 rerum, tum consiliorum salutem comprecari
 voluit

Andreas Christophor. Zeller,

Ser. Wurt. Duc. Consil. & Abbas Anhusanus.

ABdita morborum scrutaris sedulus ; adsit
 Praxi exoptatæ Gratia larga Dei!

Nobilissimo Domino Licentiatō
 gratulatur ex animo

Præses.

DIvinum in morbis quid enim, nisi provida Nostrum
 Cura DEI. Hanc curis omnibus opto Tuis.

Alexander Camerarius, D.

D

Conscen-

Confcendis *dignus Cathedram*, ftudiisque peractis
 Te præftas *Medicum* jamque, *Virumque* probas.
 Percipies fructus matura melle laborum,
 Quos tam *Jena* Tibi, quamque *Tubinga* dabit.
 Gratulor hinc, fauftosque ferant Medicamina femper
 Effectus ægris, apprecor ex animo.

Ita

Nobiliffimo ac clariffimo Dn. Candidato FISCHERO,
 Medicinæ Practico dudum feliciffimo, Fautori &
 Amico fuo longè æftumatiffimo, pro Gradu in
 medicina fummo hodie laudabiliter difputanti,
 fe commendans, accinit

Johannes Bacmeister, Med. D.

& Prof. Extraord. Confil. & Archiat. Bado-
 Durlac. ac Phyf. Tubing. Ordinarius.

Qui Juffu Domini demittit retia, *pifces*
 Felici fato cumque labore capit,
 TE delaffatum per tædia longa laborum
 Ex voto maneanit profpera cuncta meo.

Nobiliffimo ac Doctiffimo Dno. Licentiato,
 Fautori Æftimatiffimo, honoris, ominis,
 & memoriæ ergo adjecit

Johannes Fridericus Mægling,

U. J. L. & Trib. Wurtemb. Appellat.
 Advoc. Ordinar.

MEin mir fo werther Freund da dir heut widerfähret/
 Daß dein Gelehrfamkeit/ das Lob-Lied Dich läßt
 hören/
 Daß Dir nach Würde nun/ die Ehre fey beſchrehet/
 Als ein Licentiat, den Orden zu vermehren.

Go

So wundre Dich nun nicht/ daß ich auch wolte schreiben/
Wie es nach Herzens Wunsch/ noch ferner werde stehen/
Wie Dir der Himmel stets/ mehr guts werd einverleiben
Wann mein so treuer Wunsch/ werd in Erfüllung gehen.

Mit diesen wenigen aber desto redlicher gemeinten Worten
wolte seine schuldigste gratulation abstaten und zu
ferneren guten Angedenken sich empfehlen
des Herrn Licentiaten verbundenster

C. Hochstetter, Commensalis.

Sic tandem meritos FISCHERE capessis honores,
Quos Musæ studiis dant referuntque tuis.
Hinc quod mente precor, discedens accipe votum,
Auspiciis faustis vt TIBI cuncta fluant.

Hæc Nobilissimo ac Experientissimo Domino Licentiato,
amico ac mensæ socio suo longe æstumarissimo
honoris ac memoriæ ergo posuit

P. H. Schloßberger, LL. Cult.



